

*Falsus
cultus
Dei.*

*Pœna
illius.*

*Verus
cultus
Dei.*

Ignis hic alienus dicitur, quia alius
esset ab eo qui perpetuo in altari ar-
debat, & quo jussu Dei holocausta
concremabant: estq; typus falsi cultus
divini. Aaronis autem filij ultricibus
flammis cōflagrare merebantur, quia
mandatum Domini violavissent. Quē
zelum justissimi Dei provocant adver-
sū se similiter illi, qui ex suo arbitrio &
singulari devotionis ac religiosæ fan-
ticitatis præsumptione, nonum & ab i-
pso Deo non præceptum illius colen-
di ritum comminiscuntur. In quā cœ-
lestis numinis indignationem ne forte
& nos incurram⁹, restat videre in quo
verus Dei cultus consistat. Nam pœna
ignis temporarij, qua in Veteri Testa-
mento animadvertit in cultum com-
mētium, argumento nobis est, velle
ipsum similiter in Novo fædere falsas
religiones, cum æterno igni, tum bel-
lis & vastationibus terrarum, quibus
haud scio an ullum incendium possit
esse terribilius, severissimè vindicare.
Et veri quidem cultus divini natura
ac ratio ex collatione utriusq; fæderis
facile nobis innotescet. Qui in Veteri
Testamento obtineret, totus erat ex-
ternus & typicus, plenus figuris um-
brisq;